10

DEO OPT. MAX. B. F.

AMPLISSIMORVM

BASILEENSIS VNIVERSITATIS

PROCERVM MEDICORVM

DECRETO

IOANNES CASPARVS BAVHINVS F.

BASILEENSIS

SVMMI IN MEDICINA GRADVS
CONSEQVENDI CAVSA

HANC

ARTHRITIDIS

DESCRIPTIONEM

DEFENDET XXX. IVNII

SOLITIS LOCO ET HORIS.

BASILEAE

GEORGII DECKERI, VNIVERSITATIS
TYPOGRAPHI, PRAELO.

cIɔ Iɔc LII.

I.

ARTHRITIS (ἀπὸ τοῦ ἄρθρου, Latinis Articularis morbus, ab articulo, dicta) articulorum dolor eſt, per interualla exercens.

II.

Differentiæ ejus, non ex humoris illam committentis diuerſitate, (nec enim tam varius is eſt vt vulgo putatur, neque Arthritis alia ſanguinea, alia biioſa, pituitoſa, melancholica, frigida, vel calida, vt in Cauſarum eius indagatione dicetur,) ſed ex articulorum numero & varietate ſtatuendæ: quarum tribus duntaxat vſus nomina indidit, frequentioribus, magisque ſpecioſis. Sunt Chiragra, Podagra, Iſchias.

III.

Chiragra manuum, Podagra pedum, infeſtat articulos. Iſchias eum articulum, quo femur coxendici iungitur, occupat. In hac autem ſecus ac in reliquis, cauſa non modo circa articulum infixa, ſed altius, ad neruorum cruris, è lumbis & ſacro oſſe, exortum: vel hoc argumento, quod dolor non in ſola coxendice fixus, ſed in femur quoque, in crura & extremos pertingit pedes, quouſque nervus ductibus ſuis extenditur, ſi enim in coxendicis cauitate condita es-

ſet, non tam vehementem, nec tam late diffuſum, dolorem inferret.

IV.

Facile erit & cæterorum articulorum doloribus, ab articulis quos occupant, nomina mutuari: ut qui Vertebras infeſtat, Spondylagra, qui Genu, Gonagra, parique ratione reliqui vocentur.

V.

Eſt & alia Arthritidis, vel potius gradu um illius, diſtinctio, in Simplicem, cuius profluus adhuc humor, & Nodoſam, cuius humor in calculos & tophos (vnde Calculoſæ & Tophaceæ ei nomen,) iam induruit.

VI.

Cauſa Arthritidis Continens, cum Symptoma ſit, Morbus eſt, ſoluta vnitas, cui quandoque intemperies iuncta. Huius proxima cauſa humor eſt frigidus & tenuis, qui temporis ſucceſſu, calore & medicamentis induratur, articulorum vincula, membranas ac tendines, diſtendens ac diuellens, quandoque citra manifeſtum tumorem, (iis quibus primo hoc dolore tentatis, tenuis ac paucus ineſt,) quandoque manifeſto ſe tumore prodens. Hic autem humor non in eo cauo, quod extremis oſſium extrema eſt ſedes, hæret, ſed vincula & membranas, quæ extrinſecus oſſium extrema nectunt & ambiunt, ac etiam tendines eo directos, obſidet: hoc indicio, quod in inueterata arthritide, in tophos iam concretus, ſoluta cute eruitur, illæſo oſſium nexu.

VII.

Nec, vt vulgaris eſt ſententia, ſanguis quandoque, aliquando bilis aut melancholia, in articulos

con-

confluens, continentem huic malo præbet cauſam, ſed rubor, calor, imo & febris, ſi illi ſit comes, non ex affectus ſunt eſſentia, ſed doloris vi excitantur, qui attracto quouis humore obuio, talium accidentium eum reddit cauſam.

VIII.

Antecedens, idem eſt pituitoſus humor tenuis, ſede tantum à præcedente diverſus, raro congeſtione in affecta ſede aceruatus, (hoc enim modo, vix tanta, tam atrocibus, & tam longa temporis ſerie ſuccedentibus inuicem paroxyſmis, poſſet miniſtrari efficiens materia,) plerunque fluxione, quæ non ex interioribus, per venas aut arterias eo concitatur: qui enim è viſceribus, humor hic ſyncerus per venas in affectam ſedem ferretur, aut qui ſanguini vbique permiſtus, vena vel rupta, vel exeſa, vel rarefacta, vel aperta, (tot enim modis illis contentus humor exit,) purus in articulos excideret? Aut ſi ſanguis vna efflueret, cur non in omni Arthritide in articulo collectus phlegmonem excitaret? Nec ex interioribus, crudus humor, aliis quam per venas viis, aut ipſo venarum ductu, ad articulos pertingens, Arthritidem facit, alias enim per cachexiam, toto corpore crudo humore ſcatente ac tumente, hic dolor excitaretur. Verum è capite, non è cerebro ejusque ventriculis, qui pituitoſo excremento, ibi copioſe genito, excipiendo ſunt dicati, (illic enim quicquid excrementitiæ pituitæ colligitur, vel per deſtinatos ad id à natura ductus, foras vacuatur, vel in thoracem ventremque illabens, variis eos excruciat morbis,) ſed exteriore, eo, quod inter caluam & craſſam denſamque capitis cutem eſt, interſtitio. Hoc loco ſenſim

colligitur, tum ab externis iugularibus; eo, copioſe penetrantibus, excrementa ſua deponentibus, tum è cerebri venis, per ſuturarum interſtitia eo vergentibus, tum etiam tenuioribus cerebri excrementis, halitus ſpecie per calvæ ſuturas penetrantibus, expulſus, & à cutis denſitate & craſſitie retentus: inde quum copia accreuit, per laxas vias ſub cute ad articulos delabitur, ibi maxime obhærens, ubi minus expeditus ei tranſitus.

IX.

Euidentes porro neceſſariæ, & nonneceſſariæ: tum Congenitæ, naturales, & non naturales, producentes humorem noxium, ejusque ad articulos fluxum promouentes, ſequentes ſunt. Euidentes neceſſariæ, Aër frigidus ſtipando noxius, æſtuoſus fluxiones concitando. Cibi & potus, meracioris maxime vini, nimia & præpoſtera ingurgitatio. Conſuetæ excretiones, materiæ morbificæ imprimis omiſſæ. Venus immodica, totum corpus eneruans. Otium aut præpoſterus motus. Somnus immodicus & diurnus. Mœror, triſtitia, ira. Nonneceſſariæ, frequens balnearum frigidarum humidarumque uſus: articulorum à foris incidentibus contuſio.

X.

Congenitæ, quæ & nonnunquam adventitiæ, articulorum imbecillitas, ex naturali viarum amplitudine, vinculorum, membranarumque laxitate æſtimanda. Intemperies frigida & humida, tum vniuerſi corporis, tum maxime cerebri.

XI.

Aetas quoque & ſexus, Hippocratis ſæculo & autoritate, ad naturales referebantur: fœminas enim nec

articulis

articulis laborare, nec calueſcere, iuuenes non ante veneris vſum, eunuchos nunquam, articulorum dolore tentari, in aphoriſmis prodidit: quæ tamen, juxta ætates & ſexus diſtinctio, noſtro æuo, nullo non ſexu & ætate, laſciuia & ingluuie diffluentibus, receſſit ab uſu.

XII.

Arthritidis tandem ſemina, à parentibus hac decentis in fœtum propagata.

XIII.

Signa, quibus affecta ſedes innoteſcit, ſunt, dolor circa articulos intenſus, motus oblæſus, ſi longius proceſſit malum, omnino præpeditus, tumque extremo iam morbo, rupta cute, grandinis ſpecie illinc exeuntes tophi.

XIV.

Continentis cauſæ, in affecta ſede jam collectæ, ſequentes ſunt notæ, ſi iam ſupra modum accreuit, tumore ſe prodit, cui ſi atrociſſimum excitat dolorem, confluentibus in ſubſidium humoribus, tum maxime in corpore abundantibus, iuncta, rubor, renitentia, pulſatio, tenſio, aliaque, humoris è corpore doloris atrocia attracti, naturam detegentia indicia. Febris quandoque comes his ſuccedit, maxime ſi eo confluens ſanguis, in phlegmonem colligatur, eaque vel ephemera, vel ſynochus, ſiue putrida ſiue imputris, pro phlegmones vehementia, vniuerſique corporis humorum diſpoſitione.

XV.

Antecedentem cauſam, inter caluam & cutem copioſe iam collectam, indicant, capitis grauitas, ſomno-

lentia, externus dolor, contactu, inuerſione maxime pilorum, ingraueſcens, œdematoſus tumor, tum vniuerſo illo interſtitio, tum ad occipitium maxime, cuti ſubiectus.

XVI.

Affectus ipſe & euidentes eius cauſæ, ſenſui patent, nec aliis indagandæ ſignis.

XVII.

His productus cauſis, talibusque perceptus ſignis affectus, conuenientibus remediis totus eximendus, ſi cauſarum vis ad extremum nondum proceſſerit, humorque circa articulos adhuc fluxus ſit, nec in gypſi duritiem concreuerit: Si validis ſit viribus æger, quæ nec euidentium cauſarum vi, nec ætate proſtratæ. Senili enim ætati, ut cuncti diuturni, maxime à fluxione orti, frigidi morbi, ita & hic difficulter ſaneſcit, Hippocratis autoritate.

XVIII.

Cauſis amotis, & affectus, earum effectus ceſſabit: tenendus autem in earum depulſione contrarius ordo ei, quo efficiendo progrediebantur. Euidentes primo, dein antecedens, poſtremo continens demolienda. Si tamen metus ſit, ne dum euidentes corriguntur, antecedens continensque vires acquirant maiores, aut dum antecedenti incumbitur, continens accreſcat, unde dein difficilior ſit futura curatio, dicto quidem ordine pellendæ, ad harum tamen noxarum præcautionem, dum una exſtirpatur & cæterarum progreſſus impediendus, donec totæ vacuentur.

XIX. Cor-

XIX.

Corrigendis ergo euidentibus, ſit victus forma mediocris, ultra enim citraque hanc, in extremis conſtituta, Hippocratis oraculo noxia. Quicquid enim ſupra naturæ modum eſt, vim ei infert. Huius materiam miniſtrabunt, ſiccantia, coctu facilia, nullo vapore capiti moleſta. Potus quantitate & qualitate cibo reſpondeat. Aer ſit temperatus, ejus enim quæcunque intemperies, aut ſubita mutatio, ita cenſente Hippocrate, nocua. Procedant ſolitæ vacuationes, ſtagnantia in corpore excrementa, conuenientibus artis præſidiis, propellantur. Nimius ſomnus diurnus maxime, cum præter naturam ſit, noxius. Vehemens omnis, tum animi tum corporis, vitetur motus: ſit hic ante cibum moderatus, quo totum corpus non agitetur, nec concitati diffluant noxii humores.

XX.

Naturale & congenitum totius corporis, tum capitis & articulorum vitium, frigida & humida intemperies, viarum laxitas, debilitas articulorum, contrariis ſumptis admotisque, corrigenda.

XXI.

Antecedens cauſa, ſi in articulos nondum influxit, ne fluat, interceptis per quas fluxura viis, impediendum, ac è ſuo receptaculo vacuanda: non purgante medicamento, quod eius vel ſumma vis, vix eo pertingat, totum corpus exagitet, vitæ conſeruatrices vires debilitando, plus noxæ quam commodi ferat: nec ſolis alterantibus, quod non tanta eorum facultas, quæ per denſam capitis cutem, totam illam euacuet: multo minus ſecta vena, vtpote cui in eas non ſit re-

fluxus, profluet. Sola igitur ſyncipitis & occipitis ſectione aut uſtione, tota commode excidit, tutius, citius, iucundius, quam aliis viis & modis.

XXII.

Quæ vero ad articulos iam delapſa, continens fit, (cohibitis viis, admotis adſtringentibus, ne alia denuo influat,) diſcutienda, cauendo ne nimis calefacientia, ſiccantiaque hunc in finem uſurpentur, quæ diſcuſſa tenuiore eius portione, reliquum indurando, plus incommodi, quam emolumenti ferant. At ubi calore, temporis tractu, inconueniente externorum admotione, iam induruit, præmollienda, & tum demum, ſi queat, diſſipanda.

XXIII.

Huius vehementia, (attractis calidioribus humoribus) ſi intenſiſſimus obortus dolor, ægrum extreme torqueat, is ante omnimodam cauſæ exſtirpationem, quod vires valde deiiciat, compeſcendus, ſtupore parti inducta, ni vlcus ſubſit, ſic præcipiente Hippocrate, frigidæ potius affuſione, quam admotis narcoticis, quod illa manifeſta ſolum, hæc occulta quoque facultate, neruis, eorumque origini ſint infeſta.

XXIV.

Si hunc adaugeat, ſanguis toto corpore abundans, in affectos articulos confluens, vel ſi citra dolorem abundet, minuendus, ſecta vena, ni proſtratæ vires prohibeant, ea tuſa, quæ maxime è toto & fluxionis origine vacuet, nec humorum decurſum ad affectam ſedem deducat. Nulla urgente neceſſitate, omittetur, quod non vacuata mali materia, vires dejiciat.

XXV. Sub

XXV.

Sub hoc affectu, ſi publica aliqua corporis regio impuritatibus abundet, conueniente cathartico purganda. Eadem & priuatarum ſit conſideratio.

DEO SIT LAUS ET GLORIA.